Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26274
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Non dixit et non erit ei populus qui eum eo occisurus est, sed qui eum in quantum negaturus est. Quod deum occidisti nichil tibi noceret, nisi negares eum pertinaciter. Ecce vita tua sicut dixit Moyses ut iam memini quasi pendens est ante te et non credis vite tue. Christus fuit vere pendens una non tota die, scilicet ab hora sexta usque ad horam nonam. Nunc autem quasi pendens est ubicumque tu dispersus es. Sicut premiserat idem Moyses: disperget te dominus in omnes populos a summitate terre usque ad terminos eius. Nam in eo est quasi pendens vita Christus qui fuit vere pendens, quod similitudo eius qui pependit palam te vidente adoratur in tam multis locis dominationis eius. Quasi pendet et quasi pendebit. Sicut et ipse predixit: sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Et pendebit ante te similitudo hec licet tu videre nolis. Et versus in furorem ac nesciens quid dicas, neque ad rem pertinet, clames contra hoc exaltatum domini signum: simulachra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. IVD. Numquid non solum illud adoras crucifixi tui simulachrum, quem dicis esse dominum tuum, quem michi persuades esse messyam, id est Christum. Alias quoque innumeras imagines facitis tam masculini sexus quam feminei, et plena sunt templa tua simulachris eorum qui non sunt dii. XPIAN. Iamdudum dixi tibi quia et Moyses fecit cherubym, et Salemon imagines eiusmodi ampliavit in templo quod fundavit. Sic scriptum est: Et fecit in oraculo duo cherubym de lignis olivarum decem cubitorum altitudinis. Quinque cubitorum ala cherub una, et quinque cubitorum cherub altera, id est decem cubitos habens a summitate ale usque ad summitatem